

malum evadendi, in manifestum mortis periculum se conjicit: prout fit, si quis ad declinandam flammam conflagrantis domus à fenestra se precipitat, et si per accidens deim in tali periculo pereat. Ratio est: quia, uti supponitur, talis nullatenus se occidere cogitat, sed mortem etiam in periculo, in quod se conjicit, evadere adhuc aequaliter saltem sperat; consequenter mors per accidens subsecuta eidem ad culpam imputari, sicque ipse sepulturam privari non debet, uti bene observat Glossa in c. *Ex parte*. 11. h. t. v. *Non sponte*. Secus foret, si absque spe evadendi simile quid attentaret; quia tunc intentione se ipsum occidendi in periculum se conjicere censeretur, arg. cit. c. 11. h. t. & ibi Glossa citata: nisi forsitan talis subesset causa, ex qua se ipsum indirectè occidere licet: de cuiusmodi causis vide apud Theologos, & in Theologia nostra Morali tr. 9. dist. 3. n. 11.

88 Limitatur III. Si quis animo se occidendi lethali ter quidem se vulneravit, ante mortem tamen adhuc pœnituit. Sylvester loc. cit. n. 9. Pirhing h. t. n. 65. König eod. n. 10. & alii, arg. c. 2. & 4. de Statu Monach. & c. Is cui. 20. de Sentent. Excomm. in 6. ubi pariter sepultura conceditur, aliis privatis, si in morte pœniteant. Ratio est: quia talis in peccato mortali non decedit.

89 Porro observat ad propositum Barbosa de Offic. & potest. Paroch. p. 3. cap. 26. n. 49. Covarruvias lib. 2. Variar. Resolut. cap. 1. n. 11. Pirhing h. t. n. 65. Socinus jun. Consil. 51. lib. 1. Navarrus lib. 3. Consil. 7. h. t. König lo. cit. & alii, quod si quis reperitur in flumine vel puteo submersus, vel laqueo suspensus, veneno, aut ferro interfectus, sepultura privari non debeat, nisi aliunde constet, quod se ipsum occiderit; id quod in dubio præsumendum non est: cum in dubio delictum præsertim tam grave de nemine præsumatur, l. Merito. §. 1. ff. Pro socio. Accedit, quod potuerit talis per insidias, aut vi per alium in flumen precipitari, aut suspendi: aut ex amentia, vel mentis alienatione se ipsum occidere, uti bene advertunt DD. citati. Secus foret, si mentis compos prius jam ex rædio vitæ, impatientia, desperatione, vel aliâ simili causa cogitationes, & consilia se ipsum occidendi agnosceret: vel si ex circumstantiis manifestè appareret, quod à nullo alio, quàm à se ipso sibi bene præsentè interfecisset fuerit.

90 Duodecimò. Tandem omnes Sepulturam sacrâ privantur, qui in notorio, ac certo peccato mortali absque pœnitentia decedunt, ut habet Communis & certa, cum Glossa in c. *Ex parte*. 11. h. t. v. *Communiscatur*. arg. can. *Quibus peccata*. 16. cau. 13. q. 2. can. *Non astimemus*. 19. & can. *Pro obeuntibus*. 21. ead. cau. & seqq. Hinc, qui in actuali furto, rapina, fornicatione, adulterio occiduntur, in loco sacro non sepeliuntur, arg. cit. *Juribus*.

91 Queritur II. Quid Juris, si quis juxta SS. Canones sepulturam indignus sepeliatur in loco sacro? An nempe, & quando iterum exhumari, & locus reconciliari debeat? Resp. I. Si publicus Clerici percussor, aut Excommunicatus denunciatus, vel Infidelis aut Paganus sepelitur in loco sacro, polluitur Ecclesia; debetque iterum exhumari, si ossa discerni possunt, & Ecclesia reconciliari; quod donec fiat, nemo interea ibidem sepeliri potest. Prima pars de Excommunicato est certa apud omnes textu claro c. *Sacris*. 12. h. t. & c. *Consuluit*. 7. de *Consecrat. Eccles.* De Infidelibus tenet communissima DD. ut videre est apud Barbofam in can. *Ecclesiam*. 27. de *Consecrat. dist.* 1. patetque manifestè ex cit. can. 27. & 28. de *Consecrat. dist.* 1. ibi: *Evulsis corporibus*. &c. Quod autem ante reconcilia-

tionem nemo sepeliri ibidem possit, expressè deciditur c. un. de *Consecrat. Eccles.* in 6.

Resp. II. Utrum reliqui juxta SS. Canones sepulturi à indigni exhumari debeant, casu quo in loco sacro sepeliuntur, nihil certum habetur in Jure. Quamvis enim affirmativam teneat Vallensis h. t. n. 4. & 5. Sannig eod. cap. 4. n. 4. quibuslocofutire videtur Engel h. t. n. 18. ubi ait, quenvis hæreticum iterum exhumari debere, & Farinacius in praxi Criminal. q. 128 n. 17. solidum tamen ex Jure non afferunt fundamentum; quia c. 12. h. t. & c. 7. de *Consecrat. Eccles.* quod allegant, solummodò de Excommunicatis vitandis loquuntur. Ratio nihilominus esse possit; quia hoc ipso, quòd loco sacro per SS. Canones reputentur indigni, ibidem tolerari non debent. Nec videtur major ratio, cur cadaver Infidelis debeat exhumari, & non cadaver alicujus se ipsum occidentis, vel in peccato notorio mortali decedentis &c. Si dicitur, rationem, ob quam Excommunicati denuntiat, ac Infideles debeat exhumari, esse, quòd quia cum illis adhuc vivis non communicavimus, nec cum mortuis communicare possimus, arg. c. *Sacris*. 12. h. t. Contra est: tum quòd cum Infidelibus vivis communicare non sit prohibitum: tum quòd multis aliis communicare in vivis liceat, qui tamen sepeliri in loco sacro non possunt; ut patet de Usurariis, manifestis peccatoribus &c. ergo disparitas data nihil probat. Favet huic doctrinæ specialiter etiam c. 2. de *Hæreticis*. in 6. ubi omnes sepelentes hæreticum quemcumque tandem excommunicationi subjacent, donec sepulchrum iterum extument, ut proin saltem de notoriis hæreticis sententia Juri conformior sit, eos exhumari debere, præsertim, quòd isti notoriè etiam sint excommunicati; hi vero exhumari iterum debeat, etsi denuntiati non sint, juxta dicta n. 85.

Illud certius est, Ecclesiam per sepulturam talium indignorum (exceptis percussoribus Clericorum notoriis, & Excommunicatis denunciatis; imò conformiter dictis n. 85. etiam non denunciatis, notoriis tamen) non pollui; prout magis dicemus infra Tit. XL de *Consecratione Ecclesie*, ubi etiam modum reconciliandi asseremus.

Queritur III. Quas pœnas incurrant, qui indignos in loco sacro sepeliunt? Respondet ad Quæsitum Clemens V. Clem. 1. h. t. illis verbis: *Eos, qui propria temeritatis audaciâ, defunctorum corpora, non sine contemptu clavium Ecclesie, in Cæmeteriis Interdicti tempore, in casibus non concessis à Jure; vel Excommunicatos publicè, & nominatim Interdictos, vel Usurarios manifestè scienter sepelire præsumunt, decernimus ipso facto Excommunicationis sententiæ subjacere &c. nullo eis exemptionis vel quovis alio privilegio sub quocumque verborum formâ concessio aliquantè suffragante*. Eadem Excommunicationis pœna statuitur inscienter sepelientem hæreticos, credentes, receptores, vel fautores eorum. c. 2. de *Hæretic.* in 6.

Ex quibus verbis DD. cum Glossa in cit. Clem. inferunt, dictas pœnas Excommunicationis solos & omnes etiam exemptos & privilegiatos subjacere, qui vel aliquem tempore Interdicti, vel Excommunicatum publicè, vel personaliter nominatim interdictum, vel manifestum Usurarium, vel hæreticum, aut ejus defensorem, fautorem, vel receptorem, non item qui suicidam, vel decedentem in peccato mortali, vel infantem non baptizatum &c. sepeliunt. Ratio est: quia Lex hæc utpote pœnalis ultra casus & personas expressas non est extendenda, prout amplè diximus Lib. 1. Tit. 2. de *Constit.* §. 17. a n. 427. A qua tamen pœna etiam ex præfatis aliquem sepelientes excu-

excusantur, qui ex ignorantia, vel gravi metu cœcitiid faciunt, arg. cit. Clem. & c. 2. de *Hæret.* in 6. ibi: *Qui scienter, & proprie temeritatis audaciâ præsumunt*, Pirhing. h. t. n. 79. Glossa ibid. & scienter. Item illi, qui tempore Interdicti sepeliunt in casibus à Jure concessis: veluti si Clerici servantes Interdictum, in secreto sine campanarum pulsu, aut privilegiatim confratrem sepeliunt. Glossa ibid. §. à Jure.

96 Porro quinam per sepelientes hic intelligantur, optat Glossa in cit. Clem. 1. h. t. v. *Sepelire* declarationem Principis. Ancharanus tamen in cit. Clem. 1. h. t. n. 10. Pirhing h. t. n. 80. & alii volunt, huic pœnæ subjacere non tantum, qui propriis manibus mortuum in sepulchrum immittunt, sicque materialiter sepeliunt, sed etiam qui procurant, mandant, aut concedunt, ut Rectores, aut Parochi Ecclesiarum; sicuti & qui exequuntur sepulturam: item juxta Ancharanum lo. cit. dissentiente Pirhing, qui comitantur funus, crucem portant, laminaria deferunt, sepulchrum aperiunt &c. Ratio est: quia omnes isti participant in crimine criminoloso, consequenter omnes dictæ pœnæ subjacent, arg. c. *N. per. de Sentent. Excommunicat.*

97 Cæterum licet pro sepelientibus reliquos non specificatos indignos nulla certa reperitur pœna in Jure, peccant tamen mortaliter, utpote in gravi causa agentes contra prohibitionem Ecclesie, & subjacent arbitrarie pœnæ ab Episcopo infligendæ, utpote qui potest quovis transgressores Legum Ecclesiasticarum punire.

TITULUS XXIX.

De Parochiis, & alienis Parochianis.

SUMMARIUM.

- 1 Ratio continuationis.
- 2 Parochia improprie.
- 3 Et proprie sumpta quid, & unde?
- 4 Parochianus non potest alterius Parochie terminos intrare. Ibid.
- 5 Parochianus non est ad nutum amovibilis: habet varia nomina.
- 6 Ad Parochiam requiritur primò, ut auctoritate Episcopi sit erecta. Secundò, ut habeat certum districtum, ac populum.
- 7 Tertio, ut habeat unum, eumque perpetuum Parochum.
- 8 Cum cura animarum.
- 9 Jura Parochia'ia que?
- 10 Parochianus proprius, & alienus quis?
- 11 Laici pro libitu mutare possunt Parochiam, & Diocèsim; non item Clerici.

Quandoquidem Sepultura in Ecclesia Parochiali est peragenda, nisi alia eligatur, vel habeatur Sepultura Majorum: Hinc Compiler Canonum præcedenti Titulo de Sepulchris præsentem de Parochiis merito subiungit.

2 Queritur I. Quid fit Parochia? à quo erigi possit? & quæ ad eam constituendam requirantur? Ante responsum notandum, Parochiæ duplicem esse acceptionem in Jure. Aliquando enim accipitur, sed improprie, pro tota Diocesi, ut patet ex can. *Si quis*. 4. & duobus seqq. dist. 92. & c. *Ad Apostolicæ*. de Decimis. ibi: *De Paro-*

chia unius Episcopi in Diocesi alterius. Unde etiam Parochianus pro Diocetano sumitur c. 3. h. t. ibi: *Nullus Episcopus alienus Parochianum judicare presumat*. Regulariter autem ac proprie loquendo sumitur, ut indicat Conclusio sequens.

Resp. I. Parochia, quæ aliis etiam Parochia dicitur, est certum territorium, sui districtus per Papam, vel Episcopum determinatus, habens unum Rectorem stabilem cum potestate populum ibidem existentem regendi & judicandi, eique Sacramenta, aliisque Divina administrandi. Additur per Papam vel Episcopum determinatus: quia quævis Parochia habet certos ac determinatos limites, certumque assignatum, ab aliis distinctum districtum, intra quem, & non extra, jurisdictionem in Foro pœnitentiali habet, & exercere potest Parochus, arg. c. 1. cau. 13. q. 1. Pro quo sciendum, quòd licet olim curam animarum totius Diocesis solus Episcopus per Sacerdotes pro suo libitu missos, & ad nutum amovibiles administravit, assignatis cuivis laboranti Sacerdoti iis sustentationis mediis, quæ Episcopus pro tali judicaret sufficientia, ut propere tota Diocesis merito diceretur Parochia, arg. cit. *Juribus*. num. præced. Tamen, quia successu temporis experientia docebat, hunc regendi modum ob multitudinem populi continuo crescentem, & ob alia incommoda mentis proficuum esse ac utilem Republicæ Christianæ, quælibet Diocesis secata & partita fuit in plures Ecclesias Parochiales seu Parochias, assignato cuivis earum certo ac stabili Rectore, seu Parocho, qui intra illam Parochiam, seu certum sibi assignatum districtum, populum ibidem existentem in spiritalibus debet pascere, ac regere. Unde ab hac partitione nomen Parochiæ derivatum putat Abbas in Rubr. h. t. n. 1. ut Parochia idem sit, ac *partitio curæ*: quamvis aliam derivationem afferant, ut videre est apud Vallesium h. t. Præter divisionem Parochiarum divisa sunt etiam bona mœre Ecclesiastica, prius soli dispensationi Episcoporum commissa, assignatis cuivis Parochorum suæ Parochiæ Decimis, unâ cum reliquis Juribus Parochialibus, de quibus infra n. 9. Idque totum patet ex can. 1. cau. 13. q. 1. ubi ita narrat Dionysius Singali: *Ecclesie singulas Parochias Presbyteris dedimus: Parochias & Cæmeteria eis divisimus: & unicuique jus proprium habere statuimus, ita videlicet, ut nullus alterius Parochiæ terminos, aut jus invadat, sed sit unusquisque suis terminis contentus, & taliter Ecclesiam, & plebem sibi commissam custodiat.*

Porro dicitur notanter in definitione Parochiæ, per Papam, vel Episcopum, ad innuendum, quòd nemo, nisi Papa, vel Episcopus Parochias erigere possit, prout colligitur ex can. *Nullus omnino*. 11. cau. 16. q. 7. & docet ibi Barbosa cum communi DD. Accedit novissima Constitutio Concilii Tridentini sess. 24. de *Reform. cap.* 13. ubi mandat etiam S. Synodus Episcopis, ut in iis Civitatibus & locis, ubi nulla sunt Parochiæ Ecclesie, quamprimum fieri curent, non obstantibus privilegiis quibuscumque, & consuetudinibus etiam immemorabilibus. Eandem potestatem Parochias erigendi adhuc magis arguet idem Concilium Tridentinum sess. 21. de *Reform. cap.* 4. ubi alterius Episcopi concedit, quòd etiam nimis amplas Parochias dividere valeant, imò, ut dividant, mandat, casu quo id necessarium videtur, verba relatu digna sunt sequentia: *Episcopi etiam tanquam Apostolicæ Sedis Delegati, in omnibus Ecclesiis Parochialibus, vel Baptismalibus, in quibus populus ita numerosus est, ut unus Rector non possit sufficere Ecclesiasticis Sacramentis ad ministrandis, & cultui Divino peragendo, cogant Rectores, vel alios, ad quos*

perinet, sibi tot Sacerdotes ad hoc munus adjugete, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum Divinum celebrandum. In iis vero, in quibus ob locorum distantiam, sive difficultatem, Parochiani sine magno incommodo ad percipiendum Sacramenta, & Divina officia audienda accedere non possunt, novus Parochus etiam invitis Recltoribus juxta formam Constitutionis Alexandri III. Quae incipit Ad audientiam, constituere possunt. Illis autem Sacerdotibus, qui de novo erunt Ecclesis noviter erectis praesidentis, competens assignetur portio arbitrio Episcopi ex fructibus ad Ecclesiam matricem quomodocumque pervenientibus: & si necesse fuerit, compellere possit populum ea subministrare, quae sufficiant ad vitam dictorum Sacerdotum sustentandam non obstantibus quibuscumque &c. Formam, ad quam se remittit Concilium Parochiam dividendi, exhibet, c. Ad Audientiam. 3. de Ecclesiis adificand. quod lege.

5 Dicitur ulterius habens unum Rectorem stabilem, quia amplius ut olim non ad nutum amovibilis, sed stabilis ac perpetuus praestitit ac instituitur in quavis Parochia Rector, qui ordinariè vocatur Parochus juxta Concilium Tridentinum lo. cit. subinde vero Rector Ecclesiae Parochialis, dicto Concilio Tridentino. Olim etiam Plebanus dicebatur, c. Scriptum. 40. de Elect. a plebe seu populo, qui sub eisdem cura spirituali in Parochia degit. Nonnunquam Sacerdos proprius, c. Omni utriusque, 12. de Penit. & Remiss. Aliquando etiam Capellanus, tunc nempe, quando in Ecclesia Monachorum curam gerit, c. 1. de Capellis Monachorum. Frequenter etiam Curatus, à cura spirituali, quae commissa sibi populum regit, Regulariter autem & ordinariè, ut dictum, hodie Parochus appellatur. Reliqua verba adduntur ad indicandum officium & potestatem Parochi.

6 Resp. II. Plura requiruntur ad constitutionem Parochiae, seu ad hoc, ut Ecclesia aliqua dicatur, sit, & probetur Parochialis. Et quidem Primò requiritur, ut auctoritate Papae, vel Episcopi sit erecta, prout patet ex dictis n. 4. Praesumitur autem erecta Episcopi auctoritate, ex lapsu temporis, quo Rector Ecclesiae officia peregit. Sacramenta administravit, ac reliqua Parochialia praestitit, & recepit, Afflicti. Decis. 368. n. 5. Barbosa de Offic. & potest. Paroch. p. 1. cap. 1. n. 39. & alii ab eodem citati. Secundò requiritur certus locus, ac districtus cum certis limitibus ab Episcopo determinatis juxta dicta num. 3. arg. can. 1. cau. 13. q. 1. In quo loco decem saltem esse debent mancipia, seu, ut alii legunt, municipia, id est domus aut familiae, can. Unio. 3. cau. 10. q. 3. ubi statuitur, Ut Ecclesia, quae decem habuerit mancipia, super se habeat Sacerdote n: quae vero minus decem mancipia habuerit, aliis coniungatur Ecclesiis Ratio est; quia decem faciunt plebem, ut bene ibidem advertit Glossa v. Mancipia. Verùm hodierna praxi & consuetudine in erectione Parochiae non tam attenditur ad numerum populi, quam ad id, an, & quomodo Parochus infutendus congruam possit habere sustentationem; item an populus ad Ecclesiam Parochialem commode convenire, ibique Sacramenta percipere, & Divina officia frequentate valeat.

7 Tertium est, ut unum solum, ac perpetuum Rectorem seu Parochum habeat; Concilium Trident. Sess. 24. de Reform. cap. 13. ibi: Cuicumque Parochiam suam perpetuum peculiaremque Parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, & à quo solo licitè Sacramenta suscipiant. Qui Parochus juxta dicta n. 5. varia sortitur nomina in Jure, quae tamen in effectu regulariter sunt synonyma, uti bene advertit Barbosa lo. cit. n. 43.

8 Quartum est, cura animarum, & potestas Fori

penitentialis competens soli Rectori Ecclesiae, ita ut Jure ordinario in Parochianos nullus alius, sed solus ac unicuique Parochus praedictam habeat curam, arg. cit. Concil. Trident. ibi: Peculiarem Parochum, à quo solo licitè Sacramenta suscipiant &c. can. In apibus. 41. cau. 7. q. 1. Nam sicut una sponsa non potest habere duos aut plures sponsores, c. 1. de Sponsa duor. nec unum corpus duo capita, c. 1. Quoniam in plerisque de Offic. Judic. Ordinar. ita una Ecclesia non potest habere duos sponsores seu Rectores c. Cum non ignores. 15. de Praeb. ibi: Una Ecclesia unius debet esse Sacerdotis; qui non per Vicarium, sed per se ipsam illi deserviat in ordine, quem ipsius Ecclesiae cura requirit, nisi forte Dignitati, vel Praebendae Parochialis Ecclesia esset annexa, ut dicitur, c. Exirpanda. 30. eod. Et haec sunt principalia requisita, quorum unum si deest, contra raria praesumptio inducitur. Ponunt aliqui etiam pleraque Jura Parochialia pro requisitis ad eam; verùm quia potest Ecclesia Parochialis esse, & dictis Juribus carere, idè inter principalia requisita non numerantur, quamvis aliquam pro Ecclesia Parochiali praesumptionem faciant, uti bene observat Barbosa p. 1. c. 1. à num. 27. Gonzalez ad Reg. Cancell. Glossa 6. n. 36. & seqq. & alii.

Quaeritur II. Quenam sint Jura Parochialia, Ecclesiae & Parochi competentia? Resp. Praeter potestatem Fori penitentialis esse potissimum sequentia. I. Quòd Parochiani proles suas proprio Parochio teneantur baptizandas offerre. arg. Concil. Florent. in Decreto Eugenii, & docet eam communi aliorum Layman lib. 5. tr. 2. cap. 7. n. 2. Barbosa de Offic. & potest. Paroch. p. 1. cap. 18. n. 1. dicentes, Parochianum graviter peccare, si absque licentia proprii Parochi prolem baptizandam alieno offert. II. Ut diebus Dominicis & Festivis in Ecclesia Parochiali Missam audiant, c. 2. h. t. Nam autem & quando alibi audientes satisfaciunt praecipito, dicitur infra Tit. de Celebrat. Missae. III. Ut semel in anno Parochio proprio confiteantur, textu claro c. Omnis utriusque. 12. de Penit. & Remiss. ibi: Omnis utriusque sexus fidelis postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata semel in anno, proprio confiteatur Sacerdoti. Ex consuetudine tamen & privilegio Clem. Dudum. 2. §. Statuimus etiam de Sepulchris. & alibi habetur, quòd dicti Parochiani etiam tempore Paschali confiteri possint Religiosa Mendicantibus. IV. Ut reverenter ad missas in Pascha Eucharistia Sacramentum ibidem suscipiant, cit. c. Omnis utriusque V. Ut non nisi à proprio Parochio Sacramentum extremae Unctionis percipiant Clem. 1. de Privileg. ubi etiam exemptis ac privilegiatis Regularibus sub poena Excommunicationis prohibetur, ne absque licentia Parochi Sacramentum hoc alicui parochiano administrarent. VI. Quòd mortui in Parochiali Ecclesia, vel Coseterio sepeliri debeant, nisi alibi sepulturarum Majorum habeant, vel propriam eligant, juxta dicta Tit. praeced. VII. Quòd in Ecclesia Parochiali coram proprio Parochio Matrimonia, & Nuptiae solemni ritu celebrentur, c. 1. de Clandestin. Despons. & can. 1. caus. 30. q. 5. juxta Concilio Tridentino Sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 1. de quo magis infra Lib. 4. VIII. Quòd Parochio solvi debeant Decimae, Primitiae, & Oblationes, juxta dicenda Titulo sequenti. IX. Quòd limites, fines, seu termini Parochiarum nec per tempus immemorabile praescribi valeant, arg. c. Super eo. 4. h. t. & amplius dictum est Lib. 2. Tit. 26. de Praescriptione. Plura de quovis horum juris in suo loco.

Quaeritur III. Quoad alteram Rubricae partem, quanam sint, & dicantur proprii & alieni Parochiani? Resp. Omnes & solos illos esse, & dici Parochianos, qui intra limites alicujus Parochiae verum, vel

§. I.

De Natura, & Divisione Decimarum: ubi etiam de Jure, quo introductae sunt, & debentur.

SUMMARIUM.

- 2 Decimae definiuntur.
- 3 Aliae sunt praediales seu reales, aliae personales.
- 4 Decimae mixtae non agnoscuntur.
- 5 Decimae praediales aliae majores, aliae minores.
- 6 Aliae purè spirituales & Ecclesiasticae, aliae Laicales.
- 7 Decimae aliae formaliter, aliae materialiter & secundum substantiam sumptae: Haec debentur Jure naturali.
- 8 Divino & humano.
- 9 De Decimis formaliter sumptis est controversia.
- 10 Recentiores volunt eas deberi solo Jure humano.
- 11 Quia per consuetudinem, & privilegia tolluntur.
- 12 Explicantur textus in contrarium apparentes.
- 13 Eligitur sententia contraria, videlicet, quòd Decimae etiam formaliter sumptae sint de Jure Divino.
- 14 Probatur variis textibus ex Jure.
- 15 Distinctio inter Decimas formaliter, & materialiter sumptas non est fundata in Jure.
- 16 Nec fuit in veteri Testamento.
- 17 Decimae non tantum debentur pro honesta sustentatione Clericorum, sed etiam pro usu pauperum, & in signum supremi dominii.
- 18 Decimae debentur integre, consequenter formaliter.
- 19 Responso ad fundamenta Adversariorum.
- 20 Defraudans Decimas peccat contra Religionem.
- 21 Et contra Justitiam.
- 22 Defraudans Decimas potest, & debet excommunicari.
- 23 Gravissima poena defraudantibus Decimas à Deo infligitur: solventibus vero benedictiones promittuntur.
- 24 Et hoc praecipue intuitu pauperum.

vel saltem quasi domicilium habeat, sive dein sint Laici, sive Clerici, (nisi alibi Beneficium cum residentia habeant, ibique resident ob dicta supra n. 14. dicanturque proprii respectu illius Parochi, in cuius Parochia degunt: alieni vero respectu alterius Parochi, in cuius Parochia domicilium non habent. Tufchus v. Parochiani. Conclus. 99. n. 1. Vallensis h. t. §. 1. n. 12. Engel eod. num. 22. & communis aliorum. Patetque ex terminis; Parochiani enim à Parochia dicuntur: si quis in duabus Parochiis domicilium habet, ibique aequaliter, vel quasi aequaliter habitat, utrobique Parochianus est, Barbosa de Offic. & potest. Episc. p. 2. alleg. 32. n. 69. citans plures Rotae Decisiones arg. c. Cum quis. 2. de Sepult. in 6. Si verò inaequaliter in illis habitat, ibi Parochianus erit, in quo per notabiliter majorem anni partem moratur. Barbosa lo. cit. n. 70. Menochius Consil. 398. n. 16. & 17. ag. l. 1. §. Aestatem. ff. de Aqua quodiviana. & est. Quòd si domicilium seu domum in confinibus duarum Parochiarum habet, ibi Parochianus erit, ubi domus aditus habet. Bart. in l. 6. n. 6. in fine. ff. de Damno infecti. Barbosa loc. cit. num. 71. Ratio est; quia ex aditu judicatur domus, cuius sit, Baldus Consil. 60. num. 5. volum. 1. Casu quo autem domus hujusmodi duas haberet portas, vel aditus, erit ibi Parochianus, ubi porta principalis, & aditus magis frequentatus habetur. Riccius in praxi Fori Ecclesiast. Decis. 333. n. 1. Barbosa loc. cit. n. 71. & alii. Ceterum quid sit domicilium verum, & quasi tale, vide Lib. 2. Tit. 2. §. 2. de Foro competenti, ubi de hoc late.

11 Quaeritur IV. An quis pro libitu domicilium, consequenter etiam Parochiam mutare valeat? Resp. Quamvis Laici id liberrimè possint, ita ut absque ulla licentia non tantum ab una Parochia, sed etiam ab una Dioecesi ad aliam migrare possint; in quo casu etiam jura Parochi, & Episcopi cum eo migrant, juxta communem arg. c. Ult. m. h. t. & ibi Glossa v. Habitatores. Clerici tamen ab una Dioecesi ad aliam absque licentia, & Dimissoris proprii Ordinarii transire, vel ab alieno recipi non possunt arg. can. 7. & seqq. dist. 71. juncto c. 1. & 2. de Clericis peregr. quòd si inconsulto Episcopo proprio Dioecesein deserant, eisdem Sacrorum exercitium interdicti debent, juxta Concilium Tridentinum Sess. 23. de Reform. cap. 16. Vide Fagnanum in c. fin. h. t.

TITULUS XXX.

De Decimis, Primitiis, & Oblationibus.

1 Ratio ordinis.

Inter Jura Parochialia unum ex praecipuis est jus percipiendi Decimas, Primitias, & Oblationes: Quapropter ordine non incongruo post Titulum de Parochiis praefens subiungitur. Et quoniam materiam summè practicae, ac continuo occurrentem continet, indèque celebris habetur, eum pro dignitate sua explanare conabimur.

Quaeritur I. Quid, & quotuplices sint Decimae? Resp. I. Decimae ad propositum bene definiuntur, quòd sint decima pars omnium fructuum & proventuum justè acquisitorum, Deo in recognitionem universalis, supremi domini debita, atque Ecclesiae Ministris solvenda. Est in re communis. Patetque declarando singulas particulas. Dicitur Decima pars loco generis, in quo convenit cum quavis alia parte decima cuiuscumque rei, etiam ad profanum finem ordinatae: cuiusmodi Decima multiplex reperitur in Jure Civili, ut l. Cuncti. 3. C. de Metall. ubi flosiores privati Decimas de metallis solvere jubentur Fisco: simile quid habetur §. 1. Instit. de Pen. temerè litig. & l. 2. §. 2. ff. de Pollicit. Dicitur omnium fructuum & proventuum justè acquisitorum: Nam fidelis homo de omnibus, quae licitè potest acquirere, Decimas erogare tenetur, ut dicitur c. Ex transmissa. 23. h. t. & c. Non est. 22. eod. diciturque magis infra num. 25. & seqq. Dicitur Deo in recognitionem universalis, supremique domini debita; quibus verbis indicatur primarius & principalis finis dandi Decimas, vide-